

**Disputationem medicam inauguralem, de archeo / ... examini publice
subjicit Andreas Schemberger.**

Contributors

Schemberger, Andreas, active 1677-1678.
Wedel, Georg Wolfgang, 1645-1721.
Universität Jena.

Publication/Creation

Jenae : Typis Samuelis Krebsii, 1678]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/a39nezsu>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

SUMMO ADJUVANTE ARCHIATRO!

Autoritate atq; consensu

Illustris ac Gratosi Senatus Asclepiadéi,

in Illustrissimâ ad Salam,

SUB MODERAMINE

VIRI EXCELLENTISSIMI,

DN. GEORGII WOLFF-
GANGI WEDELII,

Med. Doctoris, Theoret. Prof. P. Medic. Ducal. Saxon.
nec non S. R. I. Natur. Curios. Adjuncti,

*Dn. Patroni, Praeceptoris ac Promotoris aeternum
devenerandi,*

DISPUTATIONEM MEDICAM
INAUGURALEM,

De

ARCHEO,

Pro

DOCTORIS

Gradu, Habitu purpureo, summisque in arte Medicâ Honori-
bus, ac Privilegiis ritè obtinendis,

ingenuo eruditorum examini

publicè subjicit

ANDREAS Schemberger / Pofoni-
ensis Hungarus, in Patria Practicus.

In Auditorio Majori,

Horis ante & post meridiem solitis.

ad diem 3. Junii,

ANNO O. R. clō lōc LXXIIX.

INSTITUTIO MEDICA

GEORGIUS WOLFF

GAUCHMEIER

INSTITUTIO MEDICA

PHYSICUS

PHYSICUS

PHYSICUS

PHYSICUS

PHYSICUS

PHYSICUS

PHYSICUS

PHYSICUS

PHYSICUS

PHYSICUS

PHYSICUS

PHYSICUS

PHYSICUS

PHYSICUS



I. N. J.

PROOEMIUM.



Si quicquam est, quod sacra Medicina scrutari jubet Philiatros, non videmus, quid hoc ipsum magis urgeat, quam scientia illius, quod primum omnia in toto corpore humano movet, agit, sentit & singula perficit, atque operatur. Hoc sanè ita sese habere vel inde clarum esse potest, quod nemo non sanitatem, cujus primaria, dum benè omnia habent, existit causa, pro illo, quod summum hujus vitæ bonū comitatur, agnoverit. Dùm illud autem intimiùs considerare animus est, mirari subit, quàm diversa nomina, curiosè ut exprimerentur omnia, sese hìc offerant.

Instar omnium sit ἐντελέχεια vox notissima, ast circa quam tot difficultates, tot opiniones etiam illustriù (quos hâc de re consulimus) virorum occurrunt, ut non miremur, quod *Montlorius in quest. de Entelech. circa finem p. 412.* refert de *Hermolao Barbaro, viro omni doctrinæ genere excultissimo*, eum scilicet fortuitò fruentē colloquio Dæmonis tanta curiositate detentum fuisse, ut quæsierit ex eo quidnam illud esset, quod *Aristoteles* passim vocavit ἐντελέχεια. Ast suam rogavit, ut Minervam doceret. Ut adeò de hujus rei difficultate non possit non à quovis sufficientissimè judicari.

Operæ pretium igitur fuerit, antequam hujus essentiam explicandâ aggrediamur, quædam ad ὀνοματολογίας faciëntia scrutari. I. Ἐντελέχεια hæc (eandem putamus, quam Platonici ἐνδελέχεια Attico more scribunt,) variè à *Philosophis* dicta fuit, & (1.) quidem *actus*, uti docet *Gothofred. Mæbius in epitom. instit.* item aliij

plurimi, imprimis ex Philosophis. (2.) *Motus*. Ita habet Cic. l. 1. *Tusc. Quest. animam vocari ἐντελέχεια*, nomine novo, quasi quandam continuam motionem atque perennem. Quoniam autem alii rimati sunt, actui præcedere potentiam, (3.) *Potentiam* dixerunt, undè tot potentiæ ab hac potentiâ derivatæ visentur in sequentibus. Hanc potentiam vocaverunt alii (4.) *facultatem*: alii (5.) ἐνεργεια, operationem seu efficaciam nominaverunt: sed hæc accidentia potius esse scimus. Quidam (6.) formam immaterialem indigitarunt. (7.) *Anima* à quibusdam dicta fuit, quæ fortassis antiquissima & apud Latinos usitatissima semper vox fuit. Notabile & insigne nomen est (8.) *Calidum innatum* seu calor natus, quod apud Medicos imprimis omnem absolvit paginam. Sed quoniam, calidum accidens quoddam esse, ex motu saltem resultans, quidam sapuere, genus caloris ponere maluerunt, & dixerunt (9.) *Temperamentum*, unde illud Galenicum, temperamentum esse animam Medici. Hippocrates (10.) ἐνομοῶντα, impellentia vocavit. Vid. Schol. Med. Frambesarii disp. 1. ubi agit de spiritibus. p. m. 39. (11.) Inde & spiritus nomen impositum, (quem in finem Sebast. Wirdigius conscripsit Medicinam Spirituum,) procul dubio ob subtilitatē, quam ob rem putarunt quidam, salinas, sulphureas & mercuriales sanguinis partes esse hos spiritus. vid. Theor. 1. Ulterius (12.) *Naturam* appellaverunt alii, ob analogiam naturæ, quam nonnulli pro primo habuere principio. Ultimo (13.) *Aureolus Philippus Theophrastus ARCHEI* nomen in prolcenium adduxit, quem tùm alii magno numero Chimici ad unum ferè omnes, & præcipuè Job. Bapt. van Helmont passim sequuntur. Utut verò nihil novi, vel solidioris videri posset hoc nomen dicere, cùm nihil aliud notet, quàm id, quod omnia in corpore movet, adeoque paria cum dictis; nihilominus tamen cum usus dicendi magister in civitatem adsciverit id ipsum, & pressius quasi quid, quàm illa omnia, exprimat, meritò, ex illius præsertim hypothese, id potissimum selegimus, unde ad Etymologiam ac Homonymiam Archei nunc accedimus.

II. Græciæ debet suam originem ARCHEUS, dum derivatur
vatur

vatur ab $\delta\epsilon\chi\eta$ (quod significat *principium, imperium, extremum*), estque compositum, juxta *Corn. Schrevel. Lexicon Græco-Latinum*, vel ex $\alpha\epsilon\gamma$, valdè, seu $\alpha\epsilon\gamma\varsigma$ fortitudinem seu potentiam habens, ut ferrum &c. vel ex $\alpha\epsilon\gamma\omega$ apto, congruo; & $\epsilon\chi\omega$ habeo seu possideo. Undè secundum *D. Jac. Welleri Grammat. Græc. sect. 3. cap. 3. art. 1. distinct. 7. reg. 6. p. m. 125.* minùs usitatè derivatur $\delta\epsilon\chi\eta$ Θ . Ast dictus *J. B. van Helmont. in operibus*, item *F. O. Grembs in Arbore integrà & ruinosa hominis*, nec non *G. Thomsonius, in Epilogismis Chymicis* passim voce *Archei* usi sunt. Alii nominare malunt *Archeum*, Græcè $\delta\epsilon\chi\epsilon\iota\omicron\nu$ seu $\delta\epsilon\chi\alpha\iota\omicron\nu$, quod notat *antiquum*, & ab eadem radice $\delta\epsilon\chi\eta$ derivari commodè satis potest. Quicquid autem sit, seu *ARCHEUS* seu *ARCHÆUS* scribatur, firmo tamen stat talo eadem significatio.

III. *Homonymia* ostendit (1.) *impropriam* *ARCHEI* *accceptionem*, quando pro quovis principio movendi, seu sit Θ , seu Δ , seu X , sumitur; (2.) *propriam* & (α) *generalem*, quâ pro quovis *Archeo* cujuslibet rei sumitur, qualia exempla passim suggerit *Paracelsus*; (β) *specialem*, quæ influentem hominis significat, & imprimis juxta *Willisium lib. de animâ brutor. & Medicos alios*, animam corpoream; (γ) *specialissimam*, quâ particulares, uti vocat *Helmontius*, & cuilibet parti insiti seu innati; *Archei* comprehenduntur, quos alii uno ferè ore, ut diximus, *calidum innatum* vocavere. Et hæ duæ significationes hâc vice potissimùm à nobis attendentur.

Nec opus est circa hanc nominis notionem vitilitigare, quò jure introductum fuerit seu à *Paracelfo*, seu *Helmontio*, cum uterq; minùs principium hoc movendi in corpore humano expoliverit; an, ut *Genio* suo indulgentes graviter in scholas inveherentur, eandem rē inauditâ nomenclaturâ insigniverint: an fatius fuisset, si usitatissimū aliàs vocabulū, nempe *animam*, vel *calidum innatum* suo illustrassent dogmate. Liberumerit nobis voce jam in scholis Medicis receptâ uti, (*aliquis poterit illum nominare, cū Grembsio loquimur in arbore integ. & ruinos. l. 1. c. vij. §. 2. p. 33. prout voluerit, dummodo res intelligatur*) cum animus sit, *Archei humani tractationē in vicē*

6

Inauguralis speciminis suscipere. Hoc ut felicius expediamus, articulatâ Euclidis Methodo incedemus. Faxit autem summus ille *Ἀρχαῖος*, qui omnia in omnibus est, movet, perficit atque operatur, ut hæc nostra levidensis opella cedat in Nominis sui Divinissimi Gloriam, sacræ Medicinæ emolumentum, omniumq; salutem.

S E C T I O I.

D E F I N I T I O.

Archeus humanus est substantia mobilis, è particulis subtilissimis composita, ad omnia in corpore humano movendum creata.

S C H O L I O N.

Multa hîc afferenda de genere proximo atque remoto se offerunt: quoniam autem non est intentio hîc volumen conscribere, nec opiniones Autorum congerere, ut *Helmontii, Grembsii &c.* quippe sufficienter hoc præstitit *Job. Marc. Marci in Philosoph. Vet. restit. part. IV. subsect. 11. p. 414.* Nobis hîc sufficit substantiam, appellâsse. Perpetuum hoc hominis mobile est, quo sine machina humana ne momentum quidem subsistere potest, atque ideò eò dignius consideratione, quia, per Dei Optimi Maximi dispensationem, vix in terrenis sui habet simile.

Principia essentialia, quæ sunt *materia & forma*, ostendunt particulæ seu atomi, quod pluribus depingit *theorema 1.* hæc, quatenus in machinâ hominis corporeâ modificantur, designant *differentiam specificam*, quâ differunt ab omnibus rebus aliis.

Liceat nobis huc applicare communem sententiam de compositione particularum seu atomorum Archei, siquidem dicunt Philosophi summi, & ex Medicis non pauci, animam, saltim corpoream, nam de rationali incorporeâ & immateriali hoc loco sermo nobis non est, esse *σύνκεραιν* atomorum seu coagmentum particularum; *vid. supra cit. J. M. Marci Philos. Vet. rest. part. IV. Subsect.*

ii. p. 418. ut & Willifii De brutor. anima part. i. physiolog. cap. i. pag. 4. 5. Neque spectatur hinc compositio particularum heterogenearum seu varias habentium figuras, quales esse possunt Δ ra rarefacta & salia resoluta, quæ ex chylo extracta sunt: (hæc enim licet itidem *spiritus* vocentur: illud tamen fit per $\kappa\alpha\tau\alpha\gamma\epsilon\eta\sigma\iota\nu$.) sed potius quoad easdem figuras homogenearum secundum numerum, compositarum. Pro subjecto habet corpus humanum, (quia de Archeo hominis tantum tractatio hoc loco est) tum totum, tum partes, ex quibus compositum est, quod idem demonstrat *theorema 3.*

Ad motiones venimus Archei, quem mobilem supponit *theorema V.* & ad movendum se vel subditas suas partes compelli, edocent *theoremata post V. sequentia.* TANTUM de definitione Archei, nunc ipsa *theoremata* tradimus.

S E C T I O II.

T H E O R E M A I.

Archeus Gas est.

S C H O L I O N.

Opinantur nonnulli Medici, solam circulationem sanguinis, alii solam figuram & dispositionem partium, esse facultatum causam principalem; de quibus in *theorem. X.* Alii porrò ratiocinantur, Archeum esse sanguinis partes salinas, mercuriales atque sulphureas, ex alimentis extractas.

Ast, si penitiùs rem examinemus, toto cælo aberrare videntur, quia accidentia vel instrumenta ista dici magis merentur, vel saltem principia potius materialia. Quamvis enim ex particulis dictis aliquid assimilare possit Archeus, non tamen propterea absolute Sulphur erit, vel Sal: quippè juxta *corollar. 1.* omne Sulphureum $\Phi\lambda\omicron\gamma\iota\sigma\tau\omicron\nu$ est, atque cremabile, & hæc ratione nec sal, nec mercurius, nec sulphur potest esse principium formale, de quo videri merentur, quæ *Excellentissimus Dn. D. Præses, Dn. Patronus ac Præceptor summè suspiciendus, Ephemer. Germ. ann. 7. obs. 226.* adduxit latius.

Absonum nempe est, confundere isthæc, & de Archeo prædicare

dicare, quæ principiis istis competunt. At, at, cum illa profundius lateant, concessum erit ex ipso cortice nucleum metiri, & reducere ad magis cognita illa, ut illorum analogiâ conceptum formare possimus de quidditate ipsius.

Non immeritò ab *Helmontio*, *Grembſio* & aliis dicitur *Gas*, quod antiquos fumum dixisse opinamur, seu exhalatio continua. Gas est, quia fumè mobilis, perpetuò quasi evaporat, quia sal volatile repræsentat, & calido ac humido constat: quò etiam referre quis posset illud *ex sacris*, quando vita nostra nominatur *ἀήρ* vapor. in *epist. Jacob. c. 4. v. 14.*

Refert ergò naturam maximè principii evaporabilis, principaliter mercurialis & nominatim falis volatilis, secundariò sulphurei, unde his in sanguine destructis ipse emoritur, vel saltem activitatem suam multum perdit; & ipse, juxta *Problema 2. & 4.* augeri atque sedari potest à medicamentis Salinis volatilibus & Δ reis balsamicis, seu sale volatili oleoso pollentibus. Hinc nullum dari calidum innatum, nullum humidum primigenium, quam Δ & X sanguinis, vel ipsius sanguinis & feri *κίεργεας*, & justam dispositionem statuere licebit. *Vid. Nobiliss. Dn. D. Præsid. Opiol. p. 165. & Theor. Med. part. 1. Sect. 2. Theor. 33. & 34. p. 9.* Solutus autem existere non vult, vel potest, ob subtilem exhalabilem naturam, unde vehiculo humorum alimentariorum sanguinis & feri seu lactice utitur, iisque se induit.

Utut verò, an Archeus, vel particulæ sulphuræ in corpore existentes, luceant, nec ne? non adeò in aprico sit: neque, quâ ratione spiritus nostri à plurimis Medicis dicantur lucidi, & illuminare corpus nostrum, imò radiis conclave totum (uti de se refert *D. Athanas. Kirch. è Soc. Jesu Art. magn. Luc. & Umbr. lib. 2. p. 2. cap. 1. fol. 162.*) æquè capere possimus; cum *Willisio* tamen *l. c. c. 4. p. 69.* Archei hujus duas quasi partes concipere licet, flammeam & lucidam.

Διορισμός.

Verùm si lucis, seu flammæ, cujus primus & immediatus effectus est lux, causas & modos movendi considerare cupimus, tenebris ignorantix involutos nos profiteri debemus: & licet qui
flam

flammam definire velit per *motum particularum Aërearum accensarum*; nondum tamen modum accensionis seu lucendi videmus expressum. Differentias quidem seu gradus flammarum vel ignium nemo non advertit, quæ oriuntur à densitate particularum terreno-Aërearum; ita quò fixiores & ad terrestreitatem magis accedentes sunt particule Aëreæ, eò fortiorem pariunt calorem, densioremque, non autem majorem flammam, & per consequens lucem quoque minorem edunt; quò verò particule sunt volatiliores & magis rarefactæ, eò mitiorem & majorem proferunt flammam atque lucem. Ubi simul tamen attendenda est magnitudo flammæ. Hinc concludere licet, in homine quò in majori copiâ adfuerint particule Aëreæ, & in motum velociorem concitatae, id quod animalibus eximiè competit, eò etiam plures scintillas & flammam, lucem immediatè producentem oriri. Hæc autem non de omnibus eodem gradu valent, in primis si respiciamus humidiores, minusque calidos, in quibus latex superfluus visitur, quamobrem particule Aëreæ minus se invicem in motum concitare possunt. Tandem concludimus, partes Aëreas sanguinis in motum concitatas velocissimum posse edere flammulam lucentem.

THEOREMA II.

Archeus compositus est ex pluribus particulis.

DEMONSTRATIO.

Licet enim simplicem substantiam quidam vocent, cum respectu reliquarum partium corporis, tum ratione propriæ essentiæ, illud tamen sublimiori potius auræ competit. Non potest esse una particula, quæ nimis impotens est ad regendum corpus; nec tantum spatium omnium partium possidere potest. Exinde congeriem particularum quidam dixere animam: hanc congeriem in quantitate continuâ, non discretâ considerare licet. Quemadmodum aqua dicitur constare atomis sphericis, mollibus &c. harum atomorum autem continua quantitas vocatur aqua, quando verò in vaporem resolvitur, atomi dici merentur, quantitate discretâ existentes, formâ scilicet sphericâ: Ita & rem se habere cum atomis Archei, opinamur. Particule hæ sunt subtilis-

finæ, seu leves & summè tenues, in perpetuâ undulatione & motu. Nec obstat, quod dicant alii, unam solummodò atomum, *ad theorema IV.* sufficere ad generandum fœtum; siquidem particulae Archei multiplicari possunt, juxta *Problema 2.*

THEOREMA III.

Archeus omniprasens est in corpore, & toti & cuilibet parti adeoq; & sibi ipsi prospiciens.

SCHOLION.

Quomodo enim subsistere potuisset corpus, si non totum undique irradiaretur vivifico hoc sole? Ubique affidet, ubique præsto est cum vectore suo, per spiracula sua, per canales expansus & quovis Argo oculatior. Utut ergò regiam suam in corde locaverit, & principaliter ibi sese exerat, non minus tamen in extimis quoque litoribus & finibus microcosmi excubias agit.

Exinde fluit Archeus (1.) qui toti inest corpori, ut dicatur *influus seu influens*, vel etiam *universalis*, quia in omnibus partibus est, (2.) *insitus* vel *particularis*, qui huic vel illi parti præsidet.

Hic non prætereundum, Archeum soli stomacho vel ejus pyloro non præsidere, sed omni parti simul; quoniam autem ventriculus omnium primò assumpta continet, propterea illuc etiam congregari Archeales atomos oportet, ut excipiant atque subjungent alimenta primò.

THEOREMA IV.

Pauca atomi sufficiunt ad conceptionem fœtus.

SCHOLION.

EDictum est *Job. M. Marc. l. c. pag. 86.* quòd *seminis fluidi quævis particula ad integrum fœtum constituendum sufficiens sit*: id verò non tam de humore, quàm de ideâ intelligendum putamus, quæ 2800. pars dicitur seminis. Haud absimile quippiam recenset de quâdam puella *Regn. Graf. de Org. Gen. Mul.* Quamprimum autem atomus ab uxore concepta, mox in promptu sunt, particulae Archeales uxoris, quæ novum hospitem excipiunt, blandè sospitant, sensimq; evolvunt.

THEOREMA V.

Archeus in corpore primum mobile est.

DEMONSTRATIO.

SI conceditur, quod omnis substantia sit mobilis, cujus participem se recedit Archeus, verum erit, Q. E. D.

SCHOLION.

ID porro Archei derivatio Græca docet, quæ principium significat, uti supra mentio facta, ergo aut primum aut secundum: sed secundum denotare non potest, quia prius non habet, ergo primum. Mobilis autem in utramque partem intelligitur, active nempe & passive; movere dicitur Archeus in *theoremate 8. & seq.* moveri vero profitentur *theoremata sequentia.*

THEOREMA VI.

Archeus mobilis est à quacunq; ideâ.

SCHOLION.

QUANTA volumina de essentiâ virtutibusque idearum conscripta exstent, hujus loci non est, ut recenseamus. *Vid. Ideæ Idearum Operat. Job. Marc. Marci, M. D. P. P. P.* Tribus interim, ut dicitur, verbis annumeremus, quid de ideis h. l. sentiendum. Intelligitur per ideam forma seu figura rei, quod ipsa ideæ seu *idéas* derivatio Græca edocet: estque (1.) alia *mentalis* (phantasticam, quidam vocant) quam formam immaterialem dicunt Scholastici: qualis in maniacis & melancholicis fingitur, (2.) alia *realis, sive interna sive externa*, quam omnes possident creaturæ, undè quando disproportionatas invicem habent figuras, dicuntur *dissentientes* seu *antipathicæ*. Reales autem ideæ per omnia nostrum corpus ingrediuntur sensationis organa, ad modum cameræ obscuræ: & sic nostrum movent Archeum, etiam quæ extra corpus sunt, & quæ intra corpus assumpta, aut per poros cutis ingressa sunt, de quibus in sequentibus.

Modus, quo idea rei in imaginativa nostræ animæ virtute concurrat, conjecturalis, non verò demonstrabilis videtur. Ita, verò motionem se habere videmus (1.) *in somniantibus*, qui pedes vel manus movent, pollutionem nocturnam patiuntur, Ephialten

Angunt, varia loquuntur, somnambuli sunt &c. (2.) *in gravidis*, quæ non semper ob oculos posita appetunt, & tamen nævum infanti inferunt. (3.) *Melancholici*, qui se mortuos, pecudes, canes, catos &c. esse putant, quo pertinent & maniaci, & hujus farinæ ægrotantes alii. Et sic has imaginationes variæ sequuntur Archei motiones.

THEOREMA VII.

Idea extracorporea existens per sensationis organa ingressa movet Archeum.

SCHOLIUM.

ID confirmant (1.) in primis *oculi*, per quos recipiuntur species seu ideæ visivæ: quod sat clarè in Optica demonstratur per cameram obscuram, e. g. sola idea conjugis sive depicta seu per cameram obscuram demonstrata movet mariti Archeum, vel ad amorem vel iram moliendam. (2.) *Aures*, per quas ingreditur sonus, ubi notabilem Archei motum demonstrat in Musica harmonia: testantur id Melancholici, item à tarantulis morfi, cantu curati &c. Noti sunt homines, qui stridorem dentium vix perferre possunt, alii ad clangorem, qui ex dedolatione stanni exoritur, mirum quantum exhorrescunt. In quibus ad varios animi affectus concitatur Archeus. (3.) *Nares*, uti videmus in illis, qui allii, spiritus vini, tabaci odorem ob Archei averfationem perferre nequeunt Sic moschus, castoreum ob solum odorem respectivè nocet & juvat. (4.) *Per poros cutis ingressæ ideæ reales*, ut sunt miasmata contagiosa, qualia febres malignæ comprobant; harum atomorum commune præbet vehiculum aër. Huc referri quoque possunt *ἰδιοσυγκρασίαι* variæ, ut eorum, qui præsentiam cati etiam non visi percipiunt, eumque oderunt & cane ac angve pejus fugiunt, item qui caseum abhorrent, & eorum, qui à solo aspectu assumpti purgantis vomunt vel purgantur. (5.) *Per os assumptæ*, quorum (α) *alimenta*, quæ motum Archei continent, ab eoque victa corpus augment. (β) *Medicamenta*, quæ motum Archei in ordine continent, atque pro variâ virtute inditâ eum afficiunt. (γ) *Veneria*, dum Archeum vincunt, horribiles interdum struunt actiones.

Modus

Modus autem congressus idearum cum Archeo non satis in aprico est, nisi ex Opticis & Musicis demonstrationibus tale quid sperari possit, qui tamen hodiè in hoc opere defudarunt, nondum rem acutetigisse, comperimus. Unde nunc aggredimur

THEOREMA VIII.

Archeus primum movet laticem.

SCHOLIUM.

Latex est quasi siliqua seu vehiculum Archei, quo semper inesse amat, velut *J. M. Marci in Philos. Vet. rest. p. IV. Sect. II. p. 418.* loquitur; *in humido radicali manere in suo chao involutum;* nam non solus Archeus sine latice aggreditur ideam, quapropter latex in universis corporis partibus habitat *juxta Coroll. 3.* tum cum Archeo conjungitur in vasis lymphaticis, (*vid. Helmontius in tract. Latex humor neglectus*, dicens: *laticem tam facile vocanti aut mandanti obtemperare Archeo*) tum fermentis salinis & Δ reis existit menstruum. De quibus pluribus actum *in disput. de LATICE* sub præsidio *Viri Excellentissimi atque Experientissimi Dni H. A. Fascii P. P. O. famigeratiss. Dn. Patroni, Promotoris, ac Preceptoris nunquam satis colendi, præterito anno habit. i.* His omnibus tanquam instrumentis utitur Archeus, tam ad assumpta in suam potestatem redigenda, quam morbosa & peregrina tanquam inutilia ejicienda. Vera hæc invenimus in esurientibus, quibus, cibus jamjam appositis, sæpius lympa per ductus salivales non aliter ac per siphones, quando os fortuito apertum habent, cum pudore quoque effluit. Testatur hoc porro saliva, quæ omnibus cibus intimè se admiscet in ore, & comitatur eosdem in ventriculum. Et sic continuo vehit assumpta Archeo sigillata: nec deserit in mixtione fermentorum, de quibus *vid. Coroll. 4.* donec in vasa sanguinea ingressus cum sanguine ab eodem Archeo circuitur. Tacemus à moto pudore erubescere faciem, ad cogitata venerea inflari partes genitales. &c.

*quid sit? R
III. in mente
dum radicale*

THEOREMA IX.

Archeus sanguinem circulat.

SCHOLIION.

QUamvis tùm vasa venosa tùm arteriosa ob structuram suam multùm faciant ad motum circularem, cum per parietes & latera venarum non commodè penetrare possit sanguis, undè necessariò aut ascendere aut descendere cogitur; non tamen principaliorè videmus causam ejusdem motus, ac Archeum, qui, dum ordini rerum suarum studet, sanguinem in officinas deducit, & viscerum culinas, ut in his perfectior reddatur atque elaboretur.

THEOREMA X.

Motio Archei, requisita ad generandum necessaria possidentis, dicitur Generatio.

SCHOLIION.

REquisita ad generandum præcipua sunt (1.) vasa genitalia, tam virilia, quàm muliebria, (2.) coitus utriusque sexus (3.) semen virile muliebreque, (4.) calor fovens. Sic vocatur aliàs *Archeus ipse Facultas Generatrix.*

Διορσιμός.

Progredimur ad actiones ipsas Archei, quas alii facultates dicunt, has, quoniam semper sunt per motiones, quæ causæ sunt illarum, etiam *motiones* vocare libuit. Cùm autem ad nauseam usque libri institutionum de his tractent, prolixiores esse noluimus: siquidem quot motiones secundum numerum prædicamentorum distinctæ sunt, tot quoq; sunt facultates. Neque facultates ab his motionibus realem patiuntur divisionem. Quapropter solis theorematibus relictis, motiones præternaturales dictas in genere aggressus sum, *de quibus theorem. XXVIII. &c.*

THEOREMA XI.

*Motio Archei assumpta in corporis substantiam ver-
tentis dicitur Nutritio.*

SCHOLIION.

HAud absimilis huic videtur illa definitio, quam *B. J. Theod. Schenckius in Synopsi Inst. Med. lib. 1. Sect. III. art. 1. §. 10. pag. 31.* habet, quod sit *conversio alimenti in sui substantiam partis nutritæ.* Mutatio hæc corporis in aliud corpus per generationem fit, quando formæ seu figuræ particularum ab Archeo subjugantur, atque subordinantur: ita tamen ne putetur, illarum figuras in auram abire vel penitus evanescere, uti figuras bullularum efflatarum disrumpi cernimus. Sed Archeus alias particulas sibi assimilat, dum characterem sui eis imprimit, ut figuram seu formam Archei referant. Egregio id dignoque, quod hîc inseratur, simili illustrat *Mart. Kergerus l. de fermentatione sect. 1. cap. 3. pag. 6. dicens: sicuti unus exercitus colligitur ex rebus variis: hominibus iisq; agrestibus, urbicolis, silvestribus, montanis, maritimis, veteranis, musteis, grandibus, pusillis, audacibus, timidis, strenuis, ignavis, duris, mollibus, servis, liberis, lixis, calonibus, peditibus: curribus, annonâ, armis: quorum omnium vim & conatum dirigit unicus Imperator ad suum finem, nempe consequendam victoriam, quanquam hunc militem præda incitaverit, hunc gloria, illum odium. Cessante bello exauctorantur, & qui omnes ex imperio principis militabant, non ad ejusmodi signum, sed & nutum intenti, nunc singuli ad sua redeunt propriisque auspiciis res suas curant. Ita & in homine, ut alia mista fileam & exemplum producam excellentissimum, sese res habet. Colligit hic corpus suum è rebus quam plurimis. Omnia ferè sublunaria cedunt in ejus nutrimentum. Quæ enim ei non prosunt proximè, ut sunt venena &c. absumentur & domantur ab aliis, gratum homini alimentum suffecturis. Hactenùs ille. Vid. in super coroll. 5. Hoc modo dici potest Archeus facultas Nutrix.*

THEOREMA XII.

*Motio Archei assumpta ad corporalem dispositionem
& supra nutritionem vertentis in corporis
substantiam dicitur Auctio.*

SCHOLIUM.

Auctio requirit omnes dimensiones, secundum longum, latum & profundum, quæ simul sumpta dicuntur corpus, cui fines

fines & terminos solus DEUS posuit. Hinc *nutritio* & *auctio* parum differre videntur : nisi accretionis termino & duratione.

Atque hæ sunt facultates seu motiones Archei, quas antiqui naturales dixere, forsitan quia in omni regno naturæ inveniuntur ; nondum tamen omnes recensitæ videntur : siquidem facultates restant, quæ musculos instruunt, quæ arterias, venas, parenchymata, glandulas, ossa &c. perficiunt atque ædificant, nisi quis dictas velit vocare universales, has autem singulares seu específicas, & cuilibet parti insitas. Accedimus jam vitales, quæ in solis animalibus spectantur, & sunt sequentes.

THEOREMA XIII.

Motio Archei assumpta in ventriculo mediante fermento proprio in chylum vertentis dicitur Chylificatio.

SCHOLIUM.

AD Chylificationem requiruntur tanquam essentialia (1.) *Archeus*, qui unicuique particulæ assumpti suum imprimit characterem, (2.) *organon*, quod est ventriculus, (3.) *assumptum*, ut sunt cibus & potus, (4.) *humido dilutum fermentum*: Hic magnum adiutorium præbet calor circumjacentium partium. De sapore fermenti ventriculi quam plurimas opiniones in unum fasciculum collegit *Th. Bartholinus in Anat. renov. lib. 1. cap. IX. p. m. 77. & 78.* quas leges, ubi tandem concludit : *ut breviter dicam, sicuti Chimici herbas contusas calido loco exponunt, addito fermento sine sale, quod fermentationem impedit, ut putrescant & fermentent ex se, quò resolutis per minima particulis spiritus efficaciores eliciant: ita & de ciborum in ventriculo coctione habendum.* Hæc *Barthol.*

THEOREMA XIV.

Motio Archei in corde assumptum chymum in sanguinem vertentis dicitur sanguificatio.

SCHOLIUM.

Mutationem Chymi in sanguinem Chimia docet variis modis : ex quibus præcipuè nominamus digestionem. Experimentum

rimentis quippe notum est, liquores oleosos, aliosve sulphure, pollentes rubellum acquirere colorem, alios non rubentes solâ mixturâ rubro sanguineo tingi colore. Sufficiat nobis hîc summa quasi legentibus capita, chylum nihil aliud esse, quam partes oleosas substantificas alimentorum in aqueas liquatas, elemētum sanguinis, facili expansione & circulatione ulteriori sub præsidio Archei in sanguinem abire posse.

THEOREMA XV.

Motio Archei pulsus in corde & arteriis excitans dicitur Facultas pulsifica.

SCHOLION.

Quærent Medici causam pulsus (1.) in fermentatione sanguinis, (2.) in motu circulari ejusdem, (3.) in vasorum, valvulis instrumentorum, structura varia. Ast facultatem pulsificam ab Archeo procedere, cæteris coadjuvantibus, tanquam causis sine quibus non, confirmat Thom. Barthol. l. c. lib. 2. cap. 6. p. 382. 383. Hunc spiritum non tam influentem, quam parenchymati cordis innatum seu insitum esse, comprobant particulæ cordis recens exempti dissectæ, quæ manibus mediocriter calidis comprehensæ pulsant. Et hanc pulsûs causam non incognitam fuisse veteribus, patet ex Medicorum principe Hippocrate lib. 1. de diata, ubi dicit: *secant homines lignum per ferram; alter trahit, alter protrudit, sic & hominis natura &c.* scil. systolen ac diastolen parit. Neque verò hæc ipsa actio vel sustentatio Archei à perpetuo alcali & acidi in corde, occursum commodè derivari potest.

THEOREMA XVI.

Motio Archei aërem externum, ope instrumentorum necessariorum ad respirationem, attrahentis dicitur respiratio.

SCHOLION.

Organa ad respirationem necessaria sunt, aspera arteria, pulmones, thorax, diaphragma. Hujus respirationis abstrusum negotium longiori dissertatione profecutus est Excellentiss. Dn. D. Mich. Et mullerus, quam vide,

Hic quodammodo interrumpere juvabit theoremata, antequam transitus fiat ad facultates spirituum animalium. Quamvis actionum, quæ aliàs vitales appellantur, nunc perlustratarum mentio sufficiens fiat in Institutionibus, plures tamen adhuc restant memorandæ, ut sunt attractrix, retentrix, excretrix, item, quæ musculis conveniunt, ut attollens, deprimens, coarctans, distendens &c. pro variâ partium figurâ motûque differentes. Ast quoniam pagella hæc capere eas omnes nequit, neque mens est, actionum explicationem atque modorum agendi tractare, præcipuis saltem & vulgaribus contentus sit B. L. obnixè rogitamus. Nunc ventilandam se exhibet aliàs trita quæstio, *an spiritus animales à vitalibus, & hi à naturalibus differant, nec ne?* Verum ne in patentem verborum excurramus campum, paucis nos expediamus. Si spiritus sumitur pro atomis Archealibus, maximè unus idemque erit spiritus: imò ipse Archeus singula illa complectitur, variis actionibus varia subiens nomina, unus hoc sensu est in corpore Archeus, unus spiritus. Si verò pro particulis sulphureis atque salinis, ut in latice, lacte sanguineque existunt, spirituisatis accipitur, tunc quamvis non materialiter, tamen formaliter differunt, quatenus animales subtiliores, puriores, magis diaphani, sulphurei, homogenei, volatiliores, albicantesque redditi sunt: quàm vitales, quia crasiores, non tam diaphani, quia terrestres admixtas habent partes, quapropter heterogenei rubicundique manent: ex his autem animales in officina cerebri nascuntur. Omnis autem spiritus vitalis ac animalis prior sit, oportet, antequam idoneus sit ad generandum, nutriendum ac augendum corpus.

THEOREMA XVII.

Motio Archei pro varia motûs figura facta, varium sortitur nomen affectûs, variosque effectus morbosos producit.

SCHOLION.

Consistit animi pathema in motione Archei, non autem planè rejecta humorum κράσις, qui motui materiam præbent: ita in
melancho-

melancholicis, hypochondriacis sanguis plerumque niger acidus-
que videtur, quæ qualitas tardum reddit sanguinis motum. Ita
quoque quando subito accepto gaudio, à corde recedunt spiri-
tus, facile dissipatio eorundem fieri solet, ut etiam animi deliqui-
um vel mors inde observata fuerint. Sic & à motione isthac di-
versâ sæpe primò pallor in ore sedet, quem mox summus excipit
rubor. Tale quippiam quoque videre est in irascentibus, in pri-
mis mulieribus, in quibus spiritus adeò ad motum irritantur, ut
epilepticas facile æmulentur; imò reverà epilepsiam sibi conci-
tent, quod ipsa quotidiana eloquitur experientia. Atque sic per
iram fervet Archeus, per timorem fugit, per mœstitiam pigrescit,
per gaudium effunditur, per pudorem in faciem procurrat. Exin-
de concludimus, præsupponendam esse aliquam imaginem, cha-
racterem seu Ideam, quam vel per sensuum organa ingressam vel
ab imaginatione fictam comprehendit Archeus, dum autem hæc
imago in æquilibrio quasi est cum Archeo, dicitur gaudium; quan-
do verò concupiscit imaginis essentiam, vocari meretur amor; si
superatur Archeus ab imagine, dicitur metus; quando hujus ima-
ginis essentiam vitare cupit, dicitur fuga; si verò imago superatur
ab anima, dicitur audacia; quando autem imaginis superare vult
essentiam, dicitur inimicitia & sic porrò.

Generale solummodo ponere voluimus theorema, siqui-
dem speciales affectus describenti volumine opus esset, neque id
aliter hîc consideratum volumus, quàm ut mutationes conse-
quentes in machinâ, quæ non possunt non esse satis enormes,
eò magis pateant. Tunc enim sæpe fertur equis auriga, nec au-
dit currus habenas, tunc mirè & variè moventur humores, vacil-
lant viscerum munia, pessundatur corpus, & quis omnes effectus
efferati & hoc modo Archei recensere velit?

THEOREMA XIX.

*Motio Archei per organa sensoria ideas ingressas
recipientis dicitur sensatio.*

SCHOLION.

Modus sentiendi requirit concursum ideæ seu rei cum Ar-
cheo

cheo per organa fenſitiva. Fit autem (1.) per oculos & dicitur *viſio*, quam docet *Optica*; (2.) per aures, & dicitur *auditio*, quam docet *Muſica*; (3.) per nares, & dicitur *olſactio*; (4.) per linguam, & dicitur *gullatio*; (5.) per cutem, & dicitur *Tactus*.

THEOREMA XIX.

Intermiſſio harum animalium motionum ad extra dicitur Somnus.

SCHOLIŌN.

ET hinc quamplurimæ occurrunt autorum diſſenſiones: Inter quos *Osw. Grembsius l. c. lib. 1. cap. VIII. §. 6.* definit, quod fit *facultas actualis poſitiva, atque poteſtas dormiendi vitalis naturalis atque neceſſaria.* *Cauſam*, dicit *Jac. Robaut l. 6. part. IV. cap. XXII. pag. 747.* eſſe *inopiam ſpirituum animalium, qui jam non ea copia in corde generantur.* His apprimè ratio adjungi poteſt, quæ deſumitur vel à ſulphure reſolubili, blanco, narcodico vel ab obſturbatione pororum cerebri, vel à ligatione ſpirituū. Ut ut autem, quomodo hæc ligatio ſe habeat, nondum fatiſ in aprico fit: nos facilè conſentire poſſumus iis, quæ de Stoicorum doctrina dicebat *in Hermetino Lucianus; Peripati placita didicimus, ac ſi ſecundum ea philoſophari vellemus: ſed quæ dicuntur ab aliis, non ignoramus, imò quid re apſe ſint, ignorare non pudet, quia majorum exemplo ignominantur.* Videatur interim *Opiologia D. D. Preſidis noſtri, ut & Thom. Willif. l. 6. cap. XVI. p. 235.* perhibens, *majorem anima ſenſitiva portionem (animali dormiente) expansionem ſuam, quaſi vela dimittere, intra ſeſe ſubſidere, ſuoq; intra proprium ſinum velut capite recondito nihil quod extus eſt reſpicere, aut curare.*

THEOREMA XX.

Motio Archei, intermiſſis motionibus ſenſibilibus extrinſecis, ideas vel fictas vel reverà intra corpus exiſtentes volventis, dicitur Somniatio.

SCHOLIŌN.

IDeas ſeu actiones, quas concipiunt ſomniantes, reverà vel quaſi exiſtere, confirmant quamplurimi: ita ſeu oppreſſio pe-

Etore à chylo viscosiori, seu restagnante ob decubitus supinum lymphâ in poris cerebri concipit sibi pondus incumbens in incubo. Ita in calculosis fiunt somnia venerea, & à lautâ & opiparâ cœnâ aliisq; causis occasionalibus pollutio nocturna accidit. Sic somnia pro temperamentorum & morborum variatione contingunt varia, melancholicis verbi gratiâ diabolica obveniunt, & tristia terriculamenta alia, cholericis rixosa, febricitantibus similia & ignea. Adeò & secum habitans Archeus ruminat acta, defectum vel vitium corporis patefacit &c.

THEOREMA XXI.

Motio Archei, ideas vel per sensoria organa receptas, vel intra corpus natas, in cerebro volventis, dicitur Phantasia seu Imaginatio.

SCHOLIUM.

Videtur J. Marc. Marci Phil. Vet. rest. part. V. subsect. 11. pag. 577. explicasse modum & effectum imaginandi, ubi historiam de Milone & Samsone explicat: quem vide. Opinamur autem ideas intra corpus natas fieri ab Archeo, dum vel ex particulis sanguinis vel suæ substantiæ imagines ejusmodi exstruit atque in intellectu sacrarium deducit ipsum.

THEOREMA XXII.

Motio Archei ideas receptas in cerebello reponentis, dicitur Memoria.

THEOREMA XXIII.

Motio Archei, ad ideas seu per sensus receptas, seu fictas vergentis, dicitur Appetitus.

THEOREMA XXIV.

Motiones Archei existentes in actu dicuntur vita.

SCHOLIUM.

Unionem quidam dicunt animæ cum corpore esse vitam, unde istam quoque substantiam dixerunt, ita ut tria essent

essentialia principia prima substantiam constituentia, & quasi à se invicem separabilia & separatim existentia. Sed missis his terminis seu notionibus, atque illis, quæ de prædicatâ de vita, neutralitate substantiæ & accidentis habet *J. B. van Helmont*. illis consensum præbemus, qui vitam *ἐνέργειαν* dicunt, quæ ipse effectus est hujus actus seu motus Archei, sunt enim hæc vocabula solummodò synonyma Grammatica.

Atque sic substantiâ Archei facultatibusque seu potentiis sub nomine motionum, quas secundum naturam exercet, explicatis, nunc ad eas, quas Archeus præter naturam exercet, accedimus. Sunt autem illæ, quæ vel in quantitate vel qualitate, vel motu peccant. Pro meliori indagazione pauca præmittere placuit *theorematz*.

THEOREMA XXV.

Archeus est adequatum seu universale subjectum Medicinæ.

SCHOLIUM.

PAUCA fit mentio aliàs de spiritibus, quando de subjecto Medicinæ loquuntur Autores, plerumque tamen pro *adequato subjecto* ponunt corpus, pro *inadequato* animam, quâ autem ratione, nisi de animâ rationali sit sermo, ignoramus: quippè (1.) corpus non est causa efficiens principalis spirituum; sed potius spirituum est effectus corpus & officina, quia omnia assumpta prius debent ob subtilitatem suam redigi in spiritus, ut perlustrari & figillari ab Archeo commodiùs queant, antequam in partes humidâs seu solidas abeant. Hinc principalis summorum Chemicorum regula: *Solve & coagula*; (2.) quia corpus regitur à spiritu, non verò spiritus reguntur à corpore; (3.) quia Archeus primum est, quod afficitur atq; afficit, juxta *theorema V*. Cum nostra sententia facit *Excellentissimus Dn. D. Sebastianus Wirdig in Med. Spirit. part. 1. proæm. §. 8. 9. 12.* dicens: *spiritûs subjectum esse medicinæ & causam efficientem sanitatis & morborum. Universale* notat omnipræsentiam Archei in corpore juxta *theorema III*. quia in omni morbo (in quacunque corporis parte resideat) compatitur Archeus; non

non verò semper vice versa : ubi soli motus Archei vel ejus facultates periclitantur, salvo scilicet corpore existente, qualia exempla videsis in *Schola Med. N. Abrab. Frambesarii disp. 1. p. m. 45. 46.* nisi per consequens partes quoque morbo laborare dici possunt, quando ob iram seu turbationem Archei fermenta confunduntur & partes lacerantur : de quibus in *theorema. 32. 33.* Ex his sequitur

THEOREMA XXVI.

Quemcumque morbum patitur Archeus.

DEMONSTRATIO.

SI in omni corporis parte existit Archeus juxta *theor. 3.* & adæquatam est subjectum medicinæ, uti *precedenti* dictum est *theoremate*, perspicua erit conclusionis ratio, q. e. d.

THEOREMA XXVII.

Archeus optimus & unicus morborum curator.

SCHOLIUM.

VETERUM eloquium est, *morborem curatricem esse naturam*, quam de Archeo, qui synonymum est (ut in *evolutione Synonymorum* facta est mentio) intelligendam putamus. Vide super hanc rem eleganter differentem *Job. Theod. Schenk. Inst. Med. Synops. lib. IV. part. 1. art. 1. §. 9. pag. 68. 69.* ut & *Sebast. Wirdig Spirit. medic. 2. cap. X. pag. 106.* Siquidem hic assumpta, quæ subjugare potest, in potestatem suam redigit, atque eum in finem subjugatis utitur, quò inopiam partium seu defectum sublevet, aut expellat excrementa vincatque peregrinum hospitem, morbum. Infantes namque solo materno lacte contenti incolumes vivunt, nutriuntur, eorumque corpora augentur, nec dubium est, quin etiam fermenta viscerum multiplicentur : sunt plethorici ob sanguinis copiam, excrementa quoque adsunt, & quæcunque vivendi necessitas poscit, ea videre licet in infantibus solo lacte nutritis. Atque sic unicus director, motor, curatorque est omnium rerum Archeus. Insuper *Excellentissimus Dn. D. Præses, Dn. Præceptor ac Promotor Honorificentissimus in tract. de medicam. facult. lib. 2. sect. 1. c.*

VI. p. 153. dicit *Archeum adjutum à medicamento sæpè stimulum materia morbificæ in bonum finem convertere & educere robore quodam noxia, hoc ipso satis monstrare ipsum actuare medicamenta, & in usum suum applicare, ut conformia fiant suæ potiùs intentioni sæpè quam Medici.* Paulò suprà, eodem loco: *A pulvere ait, absorbente nostro sæpissimè & vomitus præsentaneo cum effectu contingentes: sic à pulvere pleuritico in quatuor diversis agris vidimus alvi fluxum purulentum.* Unde liquet *Archeum omni quasi providere inopiæ.* Exinde præ omnibus *Archei attendendus est nifus, quò hic vergat eò etiam vis medicamenti dirigi debet, juxta Hippocratem nostrum.*

Duplici verò modò *Archeus* juvatur contra morborum universam turbam, itidem ex divini senis elogio, *περὶ εἰσεὶ καὶ ἀφαιεῖσσι* additione & ablatione; Confortantibus ex tricorpore regno & evacuantibus & alterantibus ita enim ipse promptè roboratur, ita causæ occasionales illum quovis modo turbantes auferuntur, quibus ablatis facilis est curatio.

THEOREMA XXIIIX.

Immoderatio sex rerum non naturalium Archeum turbat.

SCHOLION.

UTi omne nimium vertitur in vitium, ita etiam immoderatio rerum sex non naturalium nocet. Nocent inprimis *Archeo* (1.) *aër*, hyeme prærigidus, cui sufficienti calore occurrere non valet *Archeus*, unde dolorem capitis, dentium, raucedinem, gonorrhæam, symptomata varia uteri, perniones &c. causat (2.) *cibus & potus*, quos immutare, ope fermentorum tanquam instrumentorum, non potest *Archeus*, inde Cachexiam, Crapulam, Hydropem, Arthritidem &c. pariunt. (3.) *Somnus & Vigilia*, ille catarrhos, lethargum &c. hæphtisin, dolores capitis &c. produunt. (4.) *Motus & quies* suum quoque addunt calculum excitando lassitudinem, & somnolentiam &c. (5.) *Animi pathemata*, animi deliquium, malum hypochondriacum, epilepsiam, melancholiam, hystericas passiones &c. (6.) *Excreta & retenta*, ita quando semen intempestivè retinetur, aut in coitu non omne ejicitur sed in via hæret,

hæret, corporis totius gravitatē inducit, imò ulcera venerea parit; retentio urinæ calculo, imò morti præbet occasionem, ut in viro illustri, qui ob pudorem coram Aulicis urinam reddere noluit, factum legimus. In dysentericis excernitur sanguis, imò & chylus in lientericis, quapropter tandem moriuntur ægri.

THEOREMA XXIX.

Omne excellens sensibile causat turbationem Archei.

SCHOLIUM.

TRitum est Medicorum effatum, omne excedens sensibile lædit corpus, (scil. vivum) sub quo inprimis intelligitur id, unde vita, quod Archeum *in theoremate 24.* statuimus. Unde sequitur eum, cum objectum adæquatum vel potiùs universale morbi *juxta theorema 25.* existat, & primum sit excipiens idearum, facillimè vel ob nimiam copiam, vel ob eximium qualitatis gradum turbari. Quod patet in intuentibus solem, fulgura, lunam &c. seu mediantibus vitris per tubos opticos, seu sine iisdem. Novimus pyrobolistas, qui ob tonitrua tormentorum obaudiunt vel furdi sunt: & Θ , \oplus , \ominus , ∇ , in majori, quàm par est, copiâ assumpti nocent. Sic quoque fumè calido corpore hausta aqua frigida, ob subitam mutationem, quæ periculosa est, causat phthisin, febrim hecticam, tussim, imò & mortem repentinam; quia iisdem Archeus resistere non potis est, quem aufugere tunc oportet, vel humores in motum concitat atque turbat, vel vasa lacerat & corrumpit: de quibus in sequentibus. Nil magis ipsi adversum, quàm immoderatum; nil magis noxium, quàm subitanea & violenta mutatio, unde ipse in motibus suis turbatur.

THEOREMA XXX,

Peregrinitas assumptorum Archeum turbat.

SCHOLIUM.

SIve peregrinitatem seu insuetudinem dicas, modò ideam intelligas, quæ nostro Archeo minùs placet. Unde venena ob peregrinitatem suam turbant spiritus nostros; quando autem in

consuetudinem tracta, minùs nocent: quod corroborat *corollarium 6.* Legimus namque historias testantes, quæ aliis medicamenta sunt, illa quibusdam cessisse in venena. *Zacut. Lusit. Prax. admirand. l. 3. obs. 99. de piscatore quodã sene perhibet, quod spectãs magnificentissimum Sebastiani Lusitaniæ Regis introitum in oppidum aliquod maritimum, subitò in terram veluti attonitus conciderit, quem duo Medici frustra pro Apoplectico curare tentârunt, prognosticis tandem relinquentes. Prudentissimo verò Thomæ à Veiga Archiatri Regii judicio, ex aromatum in plateis, propter frondes fragrantès & suffimenta copiosiora, odore fortiori in repentinum hoc malum incidisse judicatus est, & adhibito simili consilio, ut æger denuò ad littus apponeretur & algâ limoque cooperiretur, brevi temporis spatio pristinae sanitati restitutus fuit.* Et simile quoddam invenitur in fœminis urbanis, quæ odorem moschi, ambrae, rosarum &c. non solum sine uteri turbâ perferre possunt; sed & in tantum iisdem delectantur, ut suis cosmicis miscere non dubitent: quod tamen nec prius nec posterius locum facile invenit apud ancillas rusticas. Exinde concludimus *corollarium 7.*

Διορσινός

Turbarum modos recensere, vix capit hæc plagula. Intelleguntur autem per turbas, ordines & motus supra consuetudinẽ naturæ languidi vel excitati, quales in febribus ardentibus experimur; motum namque fieri videmus nimis celerem, unde pulsus frequens & calor major, qui laticem ejiciunt, atque per poros emittunt: curationem horum ostendunt *corollaria 9. & 10.* Atque sic expositis quibusdam causis Archeum turbantibus, quæ ejus sedationem juxta *Problema 4.* indicant; nunc ad actiones Archei turbati descendimus.

THEOREMA XXXI.

Turbatus Archeus laticem destituit.

SCHOLIUM.

DUm Archeus latice vestitus in celeri est motu, facillimè laticem seu humidum radicale ob summam volatilitatem destituere solet. Unde sitis & sudor præter naturam in febricitantibus

bus, qui, nisi humidum radicale juxta *corallarium* g. continuare possint per potum, quem sitis poscit, moriuntur. Quod testatur feбри ardenti mortuus, in cujus per cultrum anatomicum explorato pericardio ne gutta quidem humoris reperta fuit. Nimirum hospitio exturbatur, si temperie, consistentia, motuque enormiter massa sanguinea vitietur.

THEOREMA XXXII.

Turbatus Archeus fermenta, ceu instrumenta primaria, confundit.

SCHOLIION.

NON immeritò fermenta instrumenta vocari possunt, siquidem iisdem utitur ad varia munia obeunda: ita acidum adhibetur, ut fermentationem aggrediatur cum alcali: alcalinum ut acidum præcipitet: oleosum, ut alcali fixum volatilifet &c. In perturbatione vero Archei insiti, ob horrorem, qui præcedere solet morbos Archeales, sua officia derelinqentes, quemcunque hostem sine ordine expellere conantes, fermenta, quibus præsides fuerunt, extravasant. Tale quippiam videre est in febricitantibus, ubi fermentum ventriculi extravasatum est, unde dolor ejusdem, inappetentia cibi, præsertim carnis. Ob denegatum fermentum biliosum, quod aliàs naturalis clyster est, juxta effatum *Dn. D. Wedelii in tract. de medicam. fac. lib. 2. Sect. 1. cap. 3. p. 136.* fit obstructio viscerum, unde gravitas & durties abdominis: tunc biliosum hoc fermentum vias ingreditur sanguineas. Sentiens tale Archeus in motum cietur, unde motus præter naturam dictus & pulsus frequentior in corde & arteriis, qui retardationem petunt, *vid. Problema VII.* hic motus reddit particulas calidas, quæ refrigerium postulant, juxta *Problema VIII.* Unde calor major, ac aliàs, causatur.

THEOREMA XXXIII.

Turbatus Archeus vasa sæpè lacerat, partesque corrumpit.

SCHOLIION.

ET hoc videmus in febricitantibus, qui sæpiùs patiuntur hæ-

morrhagiam narium, sputum sanguinis, in quibus fores venarum patent, in dysentericis aperiuntur venæ mesaraicæ, in hydropicis lacerantur vasa lymphatica; in iliacis convolvuntur intestina &c. Poscit hoc modo Archeus corroborantia & adstringentia: de quibus *vid. Problem IX.*

THEOREMA XXXIV.

Turbatus Archeus se ipsum perdit.

SCHOLIUM.

PERdit se ipsum Archeus variis modis, imprimis in malignis, tum ob summum sanguinis serique motum, tum ob peregrinum hospitem abigendum, habitaculum suum derelinquit atque aufugit. In terrore subito dispergitur. Sic & in cæteris affectibus lethali- bus fieri solet, quorum perditionis modos conscribere, pagella hæc non sufficeret. Indicat id, quod *Problema II.* petit.

THEOREMA XXXV.

Diminuto ultra spheram suam Archeo agonizat æger.

SCHOLIUM.

SI non repente dissipatio fit particularum Archealium, ut in Apoplexiâ subitaneâ, animi deliquio, vulnere cordis lethali &c. accidere tamen solet in tabe laborantibus, in phthisi, in fe- bri Hæctica, in Hæmorrhagiâ, in Hæmoptysi, in Febribus malignis, in senibus &c. in aliis citius, in aliis tardius.

THEOREMA XXXVI.

Cessatio omnium motuum Archei dicitur mors.

SCHOLIUM.

Signum infallibile est mortis, quando nullus amplius motus, aut facultas, nec rationalis, nec animalis, nec vitalis suum peragit officium, nec motus ullus sanguinis, unde nec pulsus apparet arteriarum, nec ullus motus membrorum, nec respira- tio. Unde in apoplecticis, hysteris, &c. ceu morti vicinis, omnes actiones explorandæ veniunt, antequam morte obruti ju- dicentur. Et hæc omnium rerum humanarum est finis.

19
SECTIO III.

PROBLEMA I.

Archeum conservare.

SCHOLIUM.

Conservatio Archei est ipsa longævitas: in hujus scrutinio Chaud parum desudasse *Helmontium*, patet ex tract. *Arbor vite*, ubi ad cælum usque laudibus evehit remedium cedrinum, cujus præparationem *ibidem* tractat, quam *Osw. Grembs.* confirmat *lib. III. cap. I. n. 13 14.* Quoniam autem hujus possessor rara avis est, effatum *Nobil. Dn. D. Præsidis, Præceptoris ac Promotoris Honorificentissimi in Theor. Med. part. IV. sect. 1. theor. 3.* exosculemur, quando dicit: *In rebus non naturalibus methodum tuendæ sanitatis consistere.* De quibus sufficienter in institutionibus pars *ὕγιεινῆ* tractat. Quamdiu namque sanus est homo, tamdiu quoque vivit, cum verò ægrotat, tunc aut diminuitur Archeus, vel turbatur, vel sopitus jacet: unde sequentia problemata struximus.

PROBLEMA II.

Numerum particularum Archei augere. i. e. Archeum augere.

SCHOLIUM.

SI augeri debet, fieri id posse autumamus, quando particulæ Archei, i. e. figurâ seu specie similes Archei adduntur Archeo. Fortassis tale medicamentum Archeum augens indigitant *Adepti*, inter quos sæpiùs citatus *Helmont. in fragm. pag. m. 351.* dicit: *docendum est, in unitate remedii consistere sanationem & à morbis cunctis restorationem.* Unde autem ista remedia, an ex regno minerali? an ex vegetabili? an ex animali? sumenda: per experientiam. Chemicam invenienda sunt, cui, tanquam lydio Lapidi, studendum jubent emunctæ naris Medici, *vid. Coroll. 12.* Ast quantam *ὀμειαν* habeant ex homine petita medicamenta, ea, quæ ex sanguine, ex urina, ex cranio, ex ipso stercore f. v. hominis præparantur, testari poterunt. *Vid. integer Beckeri libellus de Medicam.*

Microcosmicis in Spagyria Microcosmica. Hic verò id amplius non disquiremus, nec enim horum litem dirimendam fuscipere volumus. *Vid. Frid. Hoffmann. Clavis Pharmac. Schrod. lib. V. Sect. 1. p. m. 667. &c. De sanguine humano. Item Dn. Dan. Ludovici Diss. de vol. ☉ ♀ p. m. 65. &c.*

PROBLEMA III.

Sopitum Archeum excitare.

SCHOLION.

Quando sua munia non obit Archeus, obdormit potius: uti in casu apoplectico solet, ubi stertit æger immoto corpore, actiones omnes sopitæ jacent, præter respirationem; ita quoque in affectibus soporosis, ut sunt coma somnolentum, lethargus, incubus, catalepsis &c. Hæc autem indicant excitationem Archei, quam dupliciter fieri autumamus: (1.) removendo ea, quæ soporem Archei causare queunt, quod edocet *Probl. V.* (2.) Archeum in motum ciendo, & hoc ipsum bezoardica, diaphoretica, imprimis salia urinosa volatilia præstant: Horum contrarium ostendit *Problema sequens.* Insuper sicco pede præterire hic nolumus, quòd mirum in modum excitent Archeum nostrum, *odor, cantus, sonus & lumen*, quæ à *Platonicis* quatuor vocantur *alimenta spirituum*; De quibus vid. *sæpiùs citati Dn. D. Præs. nostri, Tract. de compos. medic. sect. 2. cap. 2. p. m. 56.*

PROBLEMA IV.

Archeum irritatum seu turbatum sedare.

SCHOLION.

Job. Theod. Schenckius in Synops. Instit. Med. lib. 5. class. 2. artic. 11. totum conscripsit capitulum de sedativis medicamentis, quorum sat magnam composuit farraginem, quæ videri potest *ibid. pag. 148.* Inprimis laudatur *Laudanum Paracelsi laudatum*, cujus descriptio habetur in *Pharmacop. Med. Chym. Job. Schröd. lib. IV. class. 2. cap. 394. pag. m. 205.* Idem *lib. III. cap. 26. pag. m. 496.* ad cœlum usque evehit *Tincturam ☉li rubicundissimam. Excellentiss.* *Dn. D. Wedelius* commendat *Opiata* in sua *Opiologia* passim: quo-

quorum admirandum effectum sæpius vidimus in dysenteria. Spectat huc mercurius diaphoreticus *Helmontii*, cujus descriptionem habet *Grembs. l.c. lib. III. cap. 3. §. 80. p. m. 505.* ¶ Eodem cap. §. 62. p. m. 504. cujus mentionem quoque *J. B. van Helmont* fecit, in tract. *Butler. p. m. 363. §. 25. 29.* item *lib. de febb. §. 8. 9. &c. p. m. 101.* Sufficiant horum illustrium Medicorum medicamenta spagyricè elaborata, (quæ singula suo modo Archeum sedare deprehenduntur) pro temporis ratione prolata, quorum modum acquirendi Chymia medico necessaria, utilis atque honesta (*juxta coroll. 13.*) docet. Infuper sedare quidam conantur Archeum, dum causam occasionalem seu efficientem turbationis ei eripiunt atque detrahunt, & hoc fieri putant *per sudorifera, purgantia, vomitoria, acida, urinosa, precipitantia & similia.* Quod tamen non semper succedere testantur arthritici, dysenterici, febrim Hungaricam laborantes, hydrofici &c. ubi quidem materia quædam removeri aut destrui potest, exinde autem ira seu turbatio Archei non tollitur; sed materiam novam regenerat Archeus, unde dysenteria recidiva, hydrops recidivus, podagra recidiva &c. atque sic palliativam aliquando adhibent curam. Quoniam autem hæc mediatè potius Archeum sedant, exinde specialia de iisdem condere problemata placuit.

PROBLEMA V.

Peccantia in corpore auferre.

SCHOLION.

PECCANT verò in corpore vel substantiâ, vel quantitate, vel qualitate, vel motu, humores; de quibus longiùs differit *Joh. Jonstonus in Syntag. Univers. Med. Part. II. lib. 3. Tit. 2. cap. 2. & 3. de meth. à Φαρμακῶν.* Illa verò satis removeare possumus, si Alexipharmaca, Diaphoretica, Vomitoria, Purgantia, Diuretica, Menstruoventia, Venæsectionem, Scarificationem, Hirudines &c. adhibemus. De quibus omnibus *Ἐπερ πᾶσιν* sufficientiùs agit.

PROBLEMA VI.

Absentia restituere.

SCHOLION.

Non hîc tractamus *θεραπευτικὴν* Chirurgicam; sed illam, quæ defectûs naturæ corrigit, partesque corporis augmentare docet, quam indicant atrophîâ, phthisi, febrî hecticâ laborantes. Hîc sanè in primis Archeus attendendus est, quippè vehementer in his casibus diminutus videtur. Fermentum ventriculi conservandum, abolitur restituendum, seu acidis seu falsis & esurinîs, seu balsamicis & aromaticis id fiat. Si obstructio mesenterii, hepatis, aliorumq; viscerum adest, medicamentis salinis, tartareis, antimoniatis, Glatis, & in primis *Α*libus commodè aperitur. Emulsiones quoque amygdalinæ & aliæ egregiam præstant operam, dum fâlia, quæ partes quasi devorant, demulcent, suavem sensum inducunt, confortant.

PROBLEMA VII.

Biliosum fermentum in sanguine præcipitare.

DEMONSTRATIO.

Si acida præcipitant alcali, quod experientia comprobat, etiam præcipitabunt biliosum fermentum, quod sub alcalibus continetur, Q. E. D.

PROBLEMA VIII.

Calorem diminuere sanguinis, i. e. frigefacere sanguinem.

DEMONSTRATIO.

Si motus est causa caloris, & acida motum urinosorum sistunt, & sulphur obtundunt, per illa frigus, ut alia taceamus, eximie induci potest.

PROBLEMA IX.

Vasa seu partes corporis corroborare.

SCHOLIUM.

Id sanè præstant adstringentia, quippè omnia corroborantia adstringunt, quod ipse *Dn. D. Wedelius in tract. de Med. facult. lib. 1. sect. 2. cap. 2. pag. 31.* docet. Et inter hæc in primis *Α*lia, adeò ut etiam quidam inter sedantia Archeum numeraverint eadem. *Vid. Job. Theod. Schenck, loc. cit.*

PROBLEMA X.

Adstricta laxare.

SCHOLIION.

Ostendunt hæc posteriora Problemata modum *Methodicorum* antiquum, dum *laxa adstringendo, adstricta laxando* curaverunt. Laxamus autem adstricta humidis, emollientibus, aperiētibus, obstructionem tollentibus. De quibus copiosius *Excellentissimus Dn. D. Præses, Dn. Patronus semper devenerandus in tract. de Med. facult. lib. 1. sect. 2. cap. 1. pag. 26. & c. agit,*

SECTIO IV.

Continet

COROLLARIA.

COROLLARIUM I.

Sulphur non est principium primum.

SCHOLIION.

Quia destrui potest, & quando crematur, aut in sal volatile vertitur aut in fimum abit.

COROLLARIUM II.

Gas sal volatile fingit.

SCHOLIION.

Quia illud est, quod in cremando avolat, cum cremari non possit: saporem autem, si concentratur, etiam urinosi salis habet.

COROLLARIUM III.

Latex Helmontii comprehendit humidum radicale veterum.

COROLLARIUM IV.

Omne fermentum vivi corporis admixtum habet laticem.

COROLLARIUM V.

Modus nutritionis sit $\omega\epsilon\gamma\delta\epsilon\sigma\epsilon\iota$, $\omega\epsilon\gamma\sigma\Phi\upsilon\sigma\epsilon\iota$ & $\omega\epsilon\gamma\sigma\sigma\mu\omicron\upsilon\omega\sigma\epsilon\iota$.

SCHOLIION.

Effatum est *Wedelianum* in *Theor. Med. part. 1. Sect. 4. theor. 5. p. 16.* Substantiam hanc *Arabes* dixerunt humorem innominatum, rorem, gluten, cambium.

COROLLARIUM VI.

Venenum absolutè ita dictum non existit.

SCHOLIION.

E

Testa.

Testatur namq; experientia, aliquos araneas comedisse sine noxa: quidam Medici & crudum ægrotantibus sine vitæ periculo exhibent; ita quoque *Galenus* cum galbano & suffitu attractum tussientibus præscripsit.

COROLLARIUM VII.

Consuetudo est altera natura.

SCHOLIUM.

A Deò nostræ naturæ DEUS providere voluit, si illa simul tot & tantis adversariis, quæ insidias ei struunt, occurrere non possit, ut per aliquod tempus tandem vincere valeat eadem, quod consuetudinem tanquam adscititiam & connatam naturam vocare voluerunt veteres, de qua non immeritò jubet *Galenus lib. 11. meth. Med. cap. 3.* quòd

COROLLARIUM VIII.

A consuetudine maxima sumenda indicatio.

SCHOLIUM.

Affuetis affueta relinquenda: quia consueta longo tempore, & si deteriora sunt infuetis, minùs tamen molesta esse solent, juxta *Hipp. lib. 2. Aph. 50.*

COROLLARIUM IX.

Potus febrilioribus sitientibus non est denegandus.

SCHOLIUM.

Quia serum sanguinis auget haustus, ut semper habeat Archeus, quod depasci possit, donec ille ad requiem compositus fuerit.

COROLLARIUM X.

Vinum febricitantibus non aequè denegandum.

SCHOLIUM.

Si acida e. g. \sim \oplus , \ominus , \ominus lis, succus Citri, \dagger Bezoard. biliosum sanguinem præcipitant, juxta *Problema VII.* cur non vinum, imprimis acidiusculum (non dulce) in febribus ardentibus post adhibita Bezoardica, administrare quandoq; liceat? ignoramus. Juvamen experientia comprobatur: Cum anno 1677. circa Paschatos festum Dresde febriliori ardenti per aliquot dies vehementer decumberem, adeò ut jam conclamatum esset, quod prudentiâ ac consilio Excellentissimi Dn. Morgenstern Med. D. Pract. celeberrimi adhibita plurima

remedia optato sine non potirentur, humanâ ope ferè destitutus, jamq; morti vicinus præparavi me ad eternâ salutē: sicq; Divini Numinis arbitrio cōmissus, tanto flagrabam vini desiderio, ut omnibus modis illius haustū ab adstantibus deposcerem, quo tanquam ultimo officio me defraudare ipsis religio fuit. Allato igitur vino Misnico præter omnium opinionem proficue sum usus: dormire cepi, & ubi per totam noctem placide requieveram; sequenti mane totus Ictericus apparui, cum magna lassitudine totius corporis, sine ardore tamen, & sine tanto pulsu cordis & arteriarum: Ictero curato, pristina sanitati restitutus per DEI benevolentiam adhuc superstes sum.

COROLLARIUM XI.

Acida frigefaciunt.

SCHOLION.

Quia sanguinis motum ejusque sulphur biliosum domant, & sal volatile peregrinum figunt & coercent, quæ ipsa calorem præternaturalem ut plurimum producant.

COROLLARIUM XII.

Medicus hodiè Medici nomine, non dicam, indignus est, saltem miser Medicus, qui chimiâ ignorat, miserior, qui odit.

SCHOLION.

Effatum est Excellentiss. nostri Wedelii sæpius citati, in Pharmacia in artis formam redactæ præm. pag. 5. Sola namque Chimia praxin ostendit actionum naturalium rerum: quapropter quemcunq; hodiè videas Medicum, nisi Chimia peritus, non habendus genuinus Medicus. Neque ei fidendum, qui solis Pharmacopolarum mercibus curare conantur, quippè hi apothecarii vulgò dicti, vid. l. c. Wedelianum p. 1. sæpè saltem sunt repositores, & qui ab aliis venundata & taliter qualiter præparata medicamenta cœmunt & dispensant. Quod sanè testatur experientia, ubi e. g. \oplus , \ominus , ∇ & alii impetiosi dicti non solum inutiles & phlegmatici, sed sæpè nocentes pro bonis venduntur. Idem de salibus, elixiriis &c. constat: unde tot lachrymæ, ut sæpè Medicus in jus vocetur, de negligentia curæ, ubi tamen culpa, quæ Medico imputatur, latet in Pharmacopolâ. De quibus satis abundeque legi potest Excellentiss. D. Dan. Ludov. Med. Duc. Sax. Goth. Pharmac. dissert. iii. de privata remediõrum dispensatione. Hinc tandem in proverbium abiit: *Novus Medicus, novum cæmeterium.* Co-

COROLLARIUM XIII.

Non semper verum est, novum Medicum opus habere novo Cœmeterio.

SCHOLIUM.

Videatur insuper *Frid. Hoffmann. Op. de Meth. Medend. lib. 1. cap. V. pag. 33. 34.* Quoniam nullus ad curandum admittitur, nisi legitime de studiis & experientia, (si ipse ob denegatam occasionem, nondum praxin aggressus sit) ductu *Excellentissimorum Medicorum* acquisita, examinatus fuerit: quapropter gradum Doctoris petunt, ut habeant Insignia ac Privilegia summa, quò homines jam fidem adhibere possint, illos tali experientia jamjam instructos esse: pro quibus sit

SOLI DEO GLORIA.

Dum corpus curare paras, fausto omine primus
obtigit Archeus, cui machina tota movetur,
Præcipuum curas motorem; reliqua sponte
subsident, hujusque valent moderamine ducta,
membra; nec externus quicquam superaverit hostis,
vel bella intestina; quietis omnia rivis
præside Te cedunt. Sic dignum patria tellus
æternis titulis redimitum & munere digno
excipiet, cornuque suo fortuna sequetur.

*Nobiliss. Dn. Doctorando hoc affectus & benevolentia monumentum
sisto & solida eruditionis honoramque meritiſſimorum
invidendos successus apprecor ac ominor*

PRÆSES.

Spiritus Archeus quid sit, dum sistis Amice!
docta satis spiras, digna tuo ingenio.
Quò benè respirent, Numen felicia spiret!
quos quatit hostilis spiritus, arte tuâ.

Nobilissimo Dn. Doctorando, Amico suo perdilecto, ita vovet, ac de novis honoribus gratulatur

Joh. Geinitius, Med. D.